

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0276

0274

0280

0270

0285

0265

0325

0225

0375

0175

0775

Ende

Anfang

264

repugnantem, quod spem quasi nullam nostri amplius habebant in suis viribus et clare intelligebant, se vincere urbem illam non posse sine adjutorio divino vel sine miraculo aliquo. Quapropter praedicatum est in omnibus legionibus, ut singuli a toto corde se ad Dominum converterent et orando singulis diebus nudis pedibus urbem circumirent, quod et fecerunt, non solum sacerdotes et plebeji, sed principes et capitanei, inter quos semper primus erat magnificus Gothfridus, totius exercitus praelatus et capitaneus. Octavo autem die illius humiliationis, qui est XI. Julii, omnes uno animo urbem aggrediuntur et a mane usque ad meridiem gravissime certabant et multi de nostris occumbabant, nec proficiebant lassati: ergo tantis laboribus remissius agere cooperunt, et paulatim populus fractus laboribus ac (273 A) inedia dilabebatur et conari cessabat. Quod cernentes hostes de muris et turribus clamabant et deridentes nostros insultabant, et exercitibus Dei viventis maledicebant et super muros cantabant et saltabant prae gaudio et continua clamoribus exprobrabant invitantes nostros ad redeundum. Sed non diu mansit gaudium illud vanum, erat enim signum futurae ruinae, quia ante ruinam exaltabatur cor, sicut dicitur Proverbior. XVI. In ea enim re stultos se esse monstrabant, quod tantum exercitium in amaritudine constitutum irritabant, cum dicatur Prov. 17.: Non irrites vel irrideas hominem in amaritudine animae suae, est enim, qui humiliat et exaltat, circumspector Deus; et Prov. XX.: Iram concitati spiritus quis ferre potest? Nec legerunt doctrinam illius magis philosophi inter septem sapientes mundi computati, qui dicit, nequaquam hominem infelicem irridendum.

Cum ergo nostri improperia exprobationem audirent, irrisiones, maledictiones et blasphemias acciperent, stabant inter duo extrema quasi dubiosi, nam injurias illatas sine ultiione sequenti sinere nullo modo valebant, sed qua parte civitatem exprobantium obtinere possent, paene desperabant. Eis sic in confusione stantibus ecce mox divina virtus affuit, quae fidelium rebus jam desperatis intulit consolationem. Nam de monte Oliveti miles quidam armis accinctus fulgentibus terribili insidens equo in nostrum exercitum descendit et signum

